e-codices

(ut ex sacris patet litteris) binos Moysis filios ex Pha=
raonis furore et rabie eripuisse, nec tantum Moysis
filios, sed et ab Herodis Regis impijssimi exercitu
totius orbis Creatorem creatura, et seruatorem
seruauit, cui etiam triumphi, et pompæ causa in=
sedit, et in urbem amplissimam, et ob festa (quæ
tunc celebrabantur) Paschalia populosissimam in=
uectus est. Sequuntur etiam omnes ferè Eremicolæ,
et quidem debiles, et decrepiti, non equis, sed Asinis usos
fuisse, sicut et de Diuo nostro Othmaro legitur, idem
de multis alijs Romanis, Græcisq Pontificibus Cœlitibq
probare procliue esset, imò et ipse Antisiodorensis
Antistes S. Germanus solo Asino uectus fuisse fertur
qui cum aliquando Rauennam uectus fuisset, et Asinu(m)
suum mortuum uidisset, paucis illum uerbis refertur
resuscitasse, iusus enim domum reuerti mox surrexit
et Germanum sanum, et incolumem Rauennam reuexit,
nec uerò quisquam præ Asino deprædices equos, tot tanta=
rumq stragum, enecatorumq hominum omnis ordinis et statq
effusorum reos, quam multi ab equis, etiam Duces et Im=
peratores effusi occisiq sunt, non unum, sed mille Hipo=
lytos in medium adferre liceret. Vbi Leucagus olim
ab equo delapsus de quo Virgilius canit: Excussus curru
moribundus uoluitur aruis, Vbi Leucagi frater

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 265v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/265v)